

DE EDENDO OPERE BIBLICO LATINO
METRICO

CONSILIVM SVVM APERIT,

SIMVLQVE

SCHOLÆ ANNÆBERGENSIS
INSPECTORES, EVERGETAS,
FAVTORES & AMICOS

SVMMOPERE SVSPICIENDOS ATQVE COLENDOS,

NEC NON

COLLEGAS SVOS SVAVISSIMOS

AD

ACTVM POETICVM LATINVM

D. XXII. MART. HORA IX. ANTEMERIDIANA FINITIS SACRIS PVBLICIS
HABENDVM,

IN QVO

DECEM SVPERIORIS ORDINIS DISCIPVLI

MEMORANDA QVÆDAM HEROVM ET HEROINARVM FACINORA, TVM EX
SACRA, TVM PROFANA HISTORIA, EAQVE ANTIQVA ET RECENTIORI,

DEPROMTA,

VERSIBVS HEROICIS CANENT,

ET QVIDEM

JOH. GOTTHELF SCHWABIVS, Annæbergens. *Samsonis factum Leonem in via ascer-*
*pentis,*JOH. GOTTLIEB KVHNIUS, Cadicienf. *Godofredi Bullionii cum urso periculi plenam concer-*
*tationem deque illo victoriam,*JOH. GOTTLIEB GYTMANNVS, Wiesenthalens. *forter Jonathe ausus, qui solus cum ar-*
migero imprudente patre in castra Philistæorum transfens eoque adortus magnam illis
*cladem intulit,*CHRISTIANVS GOTTLIEB VIERTELIVS, Schwartzbergenf. *C. Mutii Scævole fortitudi-*
nem, qui solus in Porfenne castra se contulit Regem occisurus, scriba autem per errorem
*occiso captus, mortis & doloris contentum dextra manu ambusta comprobavit,*JOH. GOTTLIEB AVERVS, Annæbergens. *Pugnam Davidis cum Goliathe admirabilem,*JOH. EHRENFRIED WALTHERVS, Elterlinenf. *Scanderbegi, s. Georgii Castrioti de Scytha*
*Gigante coram Amurathe triumphum,*CHRISTIANVS GOTTLIEB HENNIGIVS, Annæbergens. *Judithe heroicos spiritus, que,*
*Holoferne Tyranno in castris ejus obruncato, Berbuliam ab imminente excidio liberavit,*JOH. FRIEDERICVS SCHNEIDERVS, Neuhaufenf. *Viriles animos Marulle Virginis, que*
Cocinum, Insule Lesbos civitatem, parentis eade efferata, sola contra Turcas defendit,
*illosque magna clade affecit,*GOTTHELF AVGVSTVS RICHTERVS, Altenbergenf. *Horatii Coclitis præclarum faci-*
nus, qui fugientibus Romanis solus Etruscorum impetum suis armis sustinuit, & ponte
*interim a paucis sociis rescisso, in Tiberim desiliens hostem Roma exclusit, &*GEORGIVS FRIDERICVS MÜLLERVS, Fronavienf. *simile Martini Lupi, Lustrani, quæ*
Tingi Mauritania oppido a Mauris obsessio, exercituque Emanuelis Lusitanie Regis jam
fugato solus intra mania receptus, arrepto porte dimidio adversus barbaros fortiter di-
micavit, eosque manibus abarcuit;

LAVDABVNT,

EA, QVA PAR EST, OBSERVANTIA ET HVMANITATE
INVITAT

M. JO. FRIEDLIEB STVBELIVS,

RECT.

ANNÆBERGÆ,

TYPIS AVGVSTI VALENTINI FRISII.



Mira concordia in id conspirarunt quam plurimi omnium, quæ ante & post Christum natum effluxere, seculorum homines & a literis & divinarum rerum scientia haud leviter instructi, ut de vero sacrorum oraculorum sensu plenius ubique constaret, veritatique cœlestis jubar, discussis crassæ ignorantie tenebris, magis magisque effulgeret. Eaque nostræ ætati singulari Numinis divini benignitate obtigit felicitas, ut post tot veterum exantlatos labores, qui nihil in eo genere reliquum fecisse videri poterant, lætior in dies eorum surgat messis, qui bene de divinisimo codice mereri, novisque identidem scriptis magna diligentia elucubratis & in vulgus emissis lucem aliquid sacris paginis accendere, easque vario cultu exornare pergunt. Ob id tamen Dei T. O. M. pro hominum salute excubantis providentiam maxime deprædicandam censeo, quod verbum suum in omnium, nobiliorum certe, gentium lingvas transferri, & ita cunctis mortalium cœtibus, totum, qua patet, terrarum orbem incolentibus innotescere jussit, ut Germani non modo, verum etiam Galli, Itali, Angli, Hispani, Lusitani, Hungari, Poloni, Russi, Batavi, Sveci, Dani, & imo barbari populi Creatorem sua vernacula loquentem audiant. Quin id debemus quoque ejus bonitati, quod sanctiores illos Libros divina mysteria complectentes, quos maximam partem Græcis, Chaldaicis, Syriacis, Arabicis, Samaritanis, Ethiopicis, Copticis, nec non Persicis verbis descriptos majores etiam nostri viderunt, inde ab A. cl. Io L. Latino convestitos legamus sermone, Seb. Castellionis opera ita concepto, ut a probatoris styli amatoribus non sine summa voluptate, & quia Polo teste sensum textus plurimis in locis perspicue, pure, eleganter & fideliter expressit, magnasque non raro difficultates sua versio feliciter solvit, a nemine non cum maxima utilitate evolvantur. Hanc tamen circa sacras literas industriam, hoc varia ratione illas exponendi, comendi ornamdique studium dum mecum reputo, sæpe mirari subit, neminem unquam inventum, qui eas poeticis numeris concinnatas edere fuerit aggressus. Extant quidem Libri singulares ex Scriptura S. decerpti, quos Poëtæ, recentiores inprimis, elegantissimis versibus, non sine Apolline dextro, complexi sunt, quorum non pauci in mea etiam commigrarunt scrinia, varii idiomatis carmine perpoliti: nec defuerunt magni nominis Viri, qui locupletissimos eorum darent indices, qualæm novum propediem post Celeberrimum FABRICIVM, B. LEHMANNVM & alios luci publicæ sisset M. R. CHRISTIANVS GOTTHOLDVS WILSCHIVS, verbi divini apud Freybergenses facundissimus interpres & Rector olim nostri Lycei insigniter meritus, in Millefolio Poëtico Sacro, quod in Tomo III. Analectorum Societatis Charitatis & Scientiarum locum, ni fallor, occupabit, & in quo mille Poëtæ, qui operam suam Libris Biblicis, vel integris, vel quoad partem, versu modo Ebræo, modo Græco, modo Latino, modo Germanico, illustrandis navarunt, fideliter recensentur. Nemo autem, quod scio, unquam extitit, qui versibus, vel ex suo, vel aliorum ingenio derivatis universa, quæ vocant, Biblia instructa promere usibus publicis sit ausus. Et reliquarum quidem lingvarum Versionibus Metricis haud ægre caremus, profancis illis contenti. Id vero est, quod omnibus votis expeto, quod totus ardeo, ut videam Codicem illum sanctissimum Latino Carmine elegantiori expressum, atque ita ad leges metricas exactum, ut legitima Versio vice esse, & juventuti politionibus literis & arti poëticæ in Scholis operam danti commode in manus tradi possit. Nec ququam esse arbitror tam aversum a Musis, qui hoc non mecum discipiat & serio efflagitet, aut consilium illud Sacrorum oraculorum volumen poëtico habitu indutum divulgandi temerarium, gravitati verbi divini adversum, effectu impossibile, vel supervacaneum & inutile pronunciet. Ipse sit impius oportet, qui temeritatis, vel læsæ divini verbi majestatis arguere velit Christianos Poëtæ, quicquid possunt in sua arte eo conferentes, ut eloquia Dei versibus puris & a veterum norma non recedentibus expressa in lucem proferantur. Poëtæ primos sapientiæ autores morumque doctores jure appellari novimus, qui homines ex feritate illa, qua prius usi sunt, ad justitiam & mansuetudinem traduxerunt, sententiarum pondere & verborum certis pedibus & numeris adstrictorum svavitate irretitos. Quis igitur eos, qui hodie ingenio valent, & longe majori luce illustrati sunt, quam prisca illi vates solo rationis lumine gavis, a sacris præceptis more suo tradendis arceat, aut indignos existimet, qui in illis sanctarum literarum monumentis proposita versibus enarrent. Musæ non modo in Parnasso & Helicone querendæ sunt; in Sione etiam sacrarium illæ augustissimum collocarunt, ibique bellissime habitant, a mysteriis divinis nequaquam excludendæ. Admisit eas D. Paulus, a Poëtis adeo non abhorrens, ut ex fide testimonioque eorum & loqui amaverit & scribere: num ideo cœlestem, quam à Spiritu S. suggestam ibi exposuit, doctrinam vir entheus poluisse putandam? Quin David, qui ipse sacro percitus cæstro lauroque non tantum, sed & auro incinctus, eâ, uti omnis fere credidit antiquitas, dedit carmina, cum quibus comparata alia omnia profanorum fordeant, nonne doctas illas virgines, Apollinis sacerdotio quasi solutas, veri Dei sacris initialis, omnes-

omnesque, quibus sunt in carmina vires, veluti signo erecto, ut nihil malint canere, quam Deum & quæ Dei sunt, excitare voluisse videatur? Ut Salomonem & infinitos alios, qui canonicis magna arte magnoque ingenio conflatis sanctissimum Numen concelebarunt, suoque exemplo nos docuerunt, rerum omnium arbitrum non odisse carmina, sed illis delectari potius, nunc transeam. Valeant igitur ofores sacræ Poeseos cum suis deliramentis, qui viam ad Scripturam Sacram præcludere forte conantur versuum conditoribus, & nihil rectum putant, nihil sanctum, nisi quod ingenii ipsorum conveniat. Illi autem, qui gaudent facultate aliqua poetica, firmiter sibi persvadeant, se non peccare, si omnes antiquorum Poetarum venustates ad res divinas explicandas congeserint, modo ab iis, quæ superstitionem illorum redolent, abstineant. Nihil etiam agunt, qui rem factu vix ac ne vix quidem possibilem esse clamitant, omnes Sacræ Scripturæ Libros ad metri leges revocare, cum & rerum inibi oblatarum ea sit indoles, ut parere illis nesciant, eaque operis moles, cui nullius Poetæ, vel felicissimi, ingenium sufficiat. Hi sane nimis faciunt inopes Poetas, nimis sibi illos fingunt debiles. Quid, quæso, offendant illi in Codice Sacro, quod versum refugiat, quod non sudeant eloqui? Numerorum passim occurrentium multitudo, an Nominum propriorum, quorum sæpe fit mentio, varietas & natura pertinacior, quam ut metro se coerceri patiantur, crucem illis figat? Quasi vero Poetæ numerare non didicissent, & virorum, foeminarum, gentium, regionum, urbium & aliarum, quæcunque sunt, rerum nomina reformidarent! Confulantur veteres, consulantur recentiores, constabit, ea, quæ nemo posse dici versu existimasset, summa illos cum admiratione pedibus suis illigasse. Id quod & jam illa sacra specimina, quæ publice prostant, & quorum meminimus modo, abunde testantur. De magnitudine autem operis ingenii vires, quantæ uni inesse homini solent, excedente frustra anguntur. Non unius hominis istum laborem esse perlubenter fatemur; sed nec uni eum volumus injungi. Svadenus potius, ut eum plures inter se partiantur, id quod ex sequentibus clarissime patebit. Nec eiy, quod quisquam putet, suam operam lufuros, qui eam in hoc negotium impendere velint, cum potius amplissimos fructus ad juventutem erudiendam, imo ad alios etiam literis plenis imbutos, aliquando redituros inde, certa spes assulgeat. Mulcet enim animos & incredibili svasitate perfundit poësis, & mirum quantum ad varios hominum affectus excitandos que facit: proinde, cum magna per se veritati vis inest, facilius teneræ mentes flectentur ad obsequium, & rerum divinarum majori amore & voluptate tenebuntur; si in eas melle poëtico conspersas inciderint, seque his cantibus senserint commoveri. In profanis multa lasciva & obscena, multa nugæ & fabulæ, multa ingenii petulantia, multa, quæ veritati & bonis moribus noceant, multa, quæ absque emolumento discuntur, quæque absque damno nesciuntur. Hæc omnia aberunt, si discentes ablegari possint ad eos libros, etiam poëtici notoris ergo legendos, quorum argumentum usque quaque sanctum est, & verum, & salutare, prætereaque scitu necessarium. Quin imo altius atque tenacius hærebunt res sanctissimo illo volumine comprehensæ, si versibus, qui memoriæ ablandiuntur, eique se facilius insinuant, commententur, non elapsuræ, etiamsi ætas illa venerit, quæ vires mentis attenuat, illamque in primis retentricem animi facultatem debilitat atque corrumpit, quia, quæ teneris infixæ sunt pectoribus, post multos etiam annos recurrere solent, nec omnino delentur. Profligatis objectionibus, quibus occurrere huic instituto forte poterat, ad alia pergimus, rationem nunc demonstraturi, quæ commode brevique temporis spatio tela hæc pertexit, Opusque Billicum Metricum, quale optamus, felicissimè construi queat. Diverfunt vero iter est, quod ingredi possunt ad scopum istum tendentes; alterum minus impeditum & parum difficultatis habens: alterum majoris operæ atque molestiæ, sed longe illo utilius. Prius qui præoptant laboris magnitudinem, quæ tamen à sociis haud parum minuetur, perhorrescentes, Libros Biblicos ab aliis magna diligentia nec infelici successu elaboratos colligere & in unum cogere volumen, hisque addere poterunt, quæ à nemine tentata intellexerint. Quod si placeat, autor ipse fuerim, ut omnia sollicito oculo obeant & lustrent, ad sanioris fidei normam, tanquam ad Lydium lapidem, exigant, sique animadverterint, in nonnullis à recto tramite aberratum, illa libere emendent, ne detrimenti quid patiantur veritas, & incautus juvenum mentibus ita imponatur. Verum cum illæ sacri codicis partes, quas aliorum ante nos industria occupavit, vel nuda paraphrasi absolvantur, vel stylus, quo conceptæ sunt, poetico lepore nimis exultet, & mentem Spiritus S. sæpe non feriat, erroribus etiam interdum, quos soverunt variis sacris addicti Autores, aperte patrocinetur, consultius fore putavimus, si onus illis plane nova Versio suscipiatur. Huic adornandæ plures uno operam suam commodabunt, ita tamen, ut iudicium de toto opere sit tum penes Theologum magnæ eruditionis atque autoritatis, tum penes poetam quandam egregium, qui de singulis pensis cognoscat, & si quid parum conveniens, parum elegans & minus rectum deprehenderit, autorem

torem



torem modeste de eo commoneant. Poterunt autem vel singulis singuli Libri, vel iis, qui facilem ad fundendos versus venam sunt nacti, duo pluresve, vel, si qui difficiliore partu carmina excludunt, his dimidiis assignari, in quo suas vires experiantur. In ipsis Poetis requiro ingenium promptum & alacere, & veterum Poetarum assiduam lectionem, nec non linguarum, quibus primi Librorum Bibliorum Autores usi sunt, insignem peritiam. Id enim plane tenendum, feliciter hic versaturum neminem, nisi qui solide cognoverit non vulgaria tantum, sed & intima secretissimaque linguarum, quibus Deus oracula sua mortalibus revelavit. Unde prudenti selectu opus erit in cooptandis iis, quibus negotium tale demandetur, idque videndum, ut alia Philebrais, alia græce in primis doctis committantur, illi vero, quibus vena, licet harum linguarum notitia haud vulgari instructis, fluere renuit, ad alios usus referentur. Scilicet hi promovebunt reliquorum studium, illisque erunt a consilio, si dubium aliquod exolvendum subnascatur. Ut autem constet, quid a quolibet expectari possit, specimen aliquod Biblicum ab unoquoque exigatur, ex quo conjectura fieri possit, num par sit operi suscipiendo, nec ne, & si minus aliquis idoneus inventus fuerit, alius dignior erit adscribendus. Multi enim sunt Laurigeri, pauci Pheebi. Ipsum stylium quod attinet, sit ille perspicuus, & ad veterum exempla conformatus, idque caveatur sedulo, ne nimia ejus luxurie & verborum prolixitate lectores distineantur, vel admodum succincta brevitate sensus involvatur atque obfuretur. Si ad verbum textus reddi commode non queat, ad genium linguæ Romanæ & characteris Poetici sensus saltem exprimitur, eaque omnibus cura sit, ne quid deficiat, ne quid abundet. Eam enim legem omnibus, qui partem laboris illius sibi vindicabunt, præscriptam volumus, quæ aliam quamcunque versionem aggressuris est præfinita, quantum quidem carminis ratio permittet. Genus versuum, quod non unum idemque esse debet, sit unicuique Libro accommodatum. Et, si quid recte judicare possum, Historicis Libris & Propheticiis Heroicum carmen, odis Davidicis Lyricum, Horatii fidibus attemperatum, Cantico Canticorum Anacreonticum, dogmaticis vero reliquis, ut & Threnis Jeremix, Elegiacum quam optime conveniet. Et ne desint subsidia, integrum erit cuilibet, eos in consilium adhibere, quorum studio Libri Biblici Latinis versibus redditi prodierunt, ex quibus quicquid instituto nostro aptum fuerit, sine plagii crimine haurire licebit; cumque sparsim multa è sacris utriusque fœderis paginis loca singularia in recentioribus extant in numeros poëticos redacta, eorum usus pariter concedetur, & unusquisque alteri succurrere tenebitur ex sua pœnu, si quid ad sublevandum ejus laborem aptum noverit. Cæterum id moneo, ut observetur ordo & distinctio capitum atque commatum, qualis datur in illis codicibus, quos quotidie manibus versamus, & singulis Libris atque capitibus brevis summa præmittatur, cui rei Gemma Fabri, qua Bibliorum margaritæ summam continetur, nec non parva Biblia h. e. Carmen Elegiacum in singula utriusque Testamenti capitula, autore Casp. Eurymachæra editum, vel Ludovici Helmboldi Monoficha in singula Bibl. capita, forte etiam Andræ Merckii, Superintendententis olim Piltensis, Argumenta poemati Heroico inclusa, si horum copia fieri possit, inservient. Postremum & meam operam qualemcunque, qui ad pedes Parnassi repto, ad hanc rem polliceor, si me non indignum, quem in laboris illius societatem admittant, habuerint illi, qui huic negotio præsidebunt.

Hæc præfari libuit, ubi Vobis, Scholæ Inspectores, Evergetæ, Fautores & Amici summo opere suscipiendi atque Colendi, nec non Collegæ Svavissimi, indicandum est, quid nostri moliantur, quorum consilium & nomina in fronte hujus scripti notata videtis. Quos ut vestra præsentia & benevola auscultatione dignari velitis, eorum nomine Vos rogo atque obtestor. Dab. Annab. d. XIII. ante Calend.

April. clō 16 cc XXX.



Π i
342

DE EDENDO OPERE BIBLICO LATINO
METRICO

CONSILIVM SVVM APERIT,
SIMVLQVE

SCHOLÆ ANNÆBERGENSIS
INSPECTORES, EVERGETAS,
FAVTORES & AMICOS

SVMMPERE SVSPICIENDOS ATQVE COLENDOS,

NEC NON

COLLEGAS SVOS SVAVISSIMOS

AD

ACTVM POETICVM LATINVM

D. XXII. MART. HORA IX. ANTEMERIDIANA FINITIS SACRIS PVBLICIS
HABENDVM



INIS DISCIPVLI
INARVM FACINORA, TVM EX
ANTIQA ET RECENTIORI,

ANENT,

sonis factum Leonem in via disfer-

allionii cum urso periculi plenam concer-

ertes Jonathe ausus, qui solus cum ar-

ransiens eosque adortus magnam illis

enbergens. C. Mutii Scevole fortitudi-

in occisurus, scriba autem per errorem

manu ambusta comprobavit,

avidis cum Goliathe admirabilem,

aderbegi, s. Georgii Castrioti de Scyba

gens. Judithe heroicos spiritus, que,

buliam ab imminente excidio liberavit,

Viriles animos Marulle Virginis, que

fferata, sola contra Turcas defendit,

ens. Horatii Coclitis preclarum faci-

pectum suis armis sustinuit, & , ponte

s hostem Roma exclusit, &

simile Martini Lupii, Lusitani, qui

que Emanuelis Lusitania Regis jam

jugato solus intra mania receptus, arrepto porta dimidio adversus barbaros fortiter di-

micavit, eosque manibus abaruit;

LAVDABVNT,

EA, QVA PAR EST, OBSERVANTIA ET HVMANITATE
INVITAT

M. JO. FRIEDLIEB STVBELIVS,

RECT.

ANNÆBERGÆ,

TVPI AVGVSTI VALENTINI FRISII.

